

plenariam depressionem, cylindruli mercurialis E B successiva decremēta, aquei supra ipsum successivis incrementis apprimē respondere observavimus.

Phæn. XI. VIII. Quod olim Tentam. III. num. XV. Part. I. ceperamus experimentum aëris in aëre ponderandi, iteratō nunc tentantibus inopinatum sese objecit Phænomenon. Cū enim vesicas 6. inflatas omnes ad bilancem expendissemus, ac postmodum expresso aëre ad eandem denuō examinarem, hæ vacuæ nunc ab aëre plus habebant ponderis quàm antea inflatæ; id quod nunquam antea contigerat, neque etiam per somnium unquam nobis in mentem venisset. Mira res hæc videbatur primo intuitu, & quamvis vel in bilancem minus accuratam, vel in eorum, qui vesicas fortè satisfacere validè non inflāssent, quandam negligentiam culpa transferenda potuisset videri, ut sc. aëris pauculi pondus eo pacto evasisset insensibile, non potuissent saltem eandem lancem vacuæ plus deprimere quàm antea utcunque plenæ, nisi alia specialior causa hîc intervenisset. Quam equidem postquam invenissemus, inferiùs in Conclusionibus exponendam, adhibita, quam inventa jam causa suggesserat, cautelâ rem sapiùs ante compertam aliâ vice iterum comperimus, sensibilitèr sc. leviores vesicas evacuatæ quàm inflatas, tametsi eâ numero plures quàm quatuor haut essent.

Phæn. XII. IX. Descripseramus Part. I. Tentam. IV. p. 24. duos orbes orichalceos infernè planis specularibus munitos, qui, cū in diametro haberent 3. circiter digitos, appensum inferiori pondus 3. librarum sine sui divulsione sustinebant. Posthac verò ab Amico nostro superiùs laudato communicabantur nobis alii duo orbes orichalcei nostris multò minores, quippe 2. solūm digg. diametrum habentes, non polito vitro prætexti, sed ipsi politi; atque horum jam multò fortior erat cohæsiō, ita ut à pondere 10. vel 11. librarum divelli non possent. Quia tamen propter olei quo illinebantur lubricitatem, ad latera facilè excurrebant protinus dilapsuri, muni-